Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26856
Copyright: Admont, Benediktinerstift

tum est et memoriale tuum non derelinquetur in secula. V. Socius enim factus es supernarum uirtutum que et in celis spiritum tuum susceperunt. Et memoriale.

Tunc diocletianus iratus iussit eum duci in medium campum et ligari quasi signum ad sagittam, et iussit ut sagittarii eum sagittarent. Tunc posuerunt eum milites in medio campo. et hinc et inde ita eum expleuerunt sagittis. ut quasi ericius ita esset insitus ictibus sagittarum, et estimantes illum mortuum abierunt. R. Adhoc tantum sub clamide xpi militem agebat absconditum ut deo redderet animas quas diabolus conabatur auferre. V. Sebastianus uir xpianissimus quem occultabat militaris habitus. Ut deo. Ad Cant.

A. Multitudo languentium ueniebant ad eum et sanabantur omnes. a e u i a.

P. S. E. S. LUCAM. In illo t.

Descendens ihc de monte, stetit in loco campestri. et turba discipulorum eius. et multitudo copiosa plebis ab omni iudea et ierusalem et maritima et tyri et sydonis, qui uenerant audirent eum et sanarentur a languoribus suis. Et reliqua. Omelia S. Ambrosii epi. De e. P.

Aduertite fratres karissimi. aduertite omnia diligenter, quomodo xpc et cum apostolis ascendat et descendat ad turbas. Quomodo enim turba nisi in humili xpm uideret. Non sequitur ad excelsa. non ascendit ad sublimia. R. Clarissimis cottidie uiris marcelliano et marco suadebat seculi blandimenta respuere et momentanea tormentorum genera non timere. V. Beatus sebastianus suadebat marcelliano et marco respuere blandimenta mulierum. Et momentanea.

Denique ubi descendit, inuenit infirmos. In excelsis enim infirmi esse non possunt. Sic enim matheus docet in inferioribus debiles sanatos esse. Prius enim unusquisque sanatus est ut paulatim uirtutibus procedentibus ascendere posset in montem, et ideo unumquemque in inferioribus sanat. hoc est a libidine reuocat. iniuriam cecitatis auertit. R. Elegit dominus uirum de plebe et claritatem uisionis eterne dedit illi celebremus sollempnitatem sebastiani martyris gaudium sit in celo et in terra pax in hominibus bone uoluntatis. V. Beatus es et bene tibi erit egregie dei martyr sebastiane. Gaudium.

Ad uulnera nostra dominus descendit, ut usu quodam et copula sue nature comparticipes nos faciat esse celestis. Et sanabat hos quidem. sed in inferioribus relinquebat. Videns autem turbas ut legisti, ascendit in montem. Et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius.

R. In isto loco promissio uera est et peccatorum remissio splendor et lux perpetua et sine fine leticia quam meruit xpi